

B. M. II, 110.  
~~H. M. II, h. 24, 8.~~

(X 7878957)

II R  
4284

Q. F. E. I. N.  
DE

# ADVOCATIA

## IMPERATORIS ECCLESIASTICA

### DISPUTATIO INAUGURALIS QVAM

#### RECTORE MAGNIFICENTISSIMO SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO DOMINO

# IOHANNNE GVILIELMO

## DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM, UT ET ANGRÆ AC WESTPHALIÆ, ETC.

### EX DECRETO ILLUSTRIS FCTORUM ORDINIS IN INCLYTA SALANA

PRÆSIDE

## DN. IOH. PHILIPPO SLEVOGTIO, D.

### ET PANDECT. PROF. COLLEGIQVE JURIDICI ET SCABINATUS ASSESSORE,

*Patrono ac Fautore suo ætatèm colendo*

### PRO LICENTIA

#### Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia Doctoralia legitimè consequendi

*Publico Eruditorum Examine sistit*

## IOH. CHRISTOPHORUS Hill / Pofon.

d. XV. Octobr. A. D. M. DC. XC.

### IN AUDITORIO FCTORUM horis ante- & pomeridianis.

### Jenæ, Literis Bauhoferianis.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
25

O. F. E. L. W.  
DE

ADVOCATUS

IMPERATORIS ECCLESIASTICA

DISPUTATIO IN AUCURALLE

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

ERRATA PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

IOHANNES GUILIELMUS

DECE SAXONIA, JURE

BIBLIOTHECA

PONICKAVIANA

DR. JOH. PHILIPPO SLEVOGGIO, D.

ET HANDECT. PROF. COLLECTOR ET JURIDICI ET SCABRARI

ASSESSORE

Patrono ac Patrono suo etiam colendo

PRO LICENTIA

Summos in Linopue huc Honores & Privilegia Doctoralia

legitime consequendi

publica tractatione examini sui

JOH. CHR. S. G. HORRIS S. M. P. O. L. O. N.

A. V. O. G. O. P. T. A. D. M. D. C. X. C.

BIBLIOTHECA IN AMPTORNO, S. O. R. I. A. M.

hanc lib. non recipi.

JOH. CHR. S. G. HORRIS S. M. P. O. L. O. N.



**SACRI ROMANI**  
**IMPERII**  
**INCLYTÆ LIBERÆQUE**  
**REIPUBLICÆ RATISBONENSIS**  
**SENATUI**  
**ILLUSTRI,**

VIRIS

MAGNIFICIS, PERSTRENUIS  
NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS  
AMPLISSIMIS AC PRUDENTISSIMIS

DOMINIS  
CAMERARIO  
CONSULARIBVS  
&  
SENATORIBVS

*Univerſis ac Singulis*

PATRIÆ PATRIBUS PIIS  
ET FELICIBUS  
DOMINIS, PATRONIS AC PRO-  
MOTORIBUS SUIS MAXIMIS

*pacem & incolumitatem perennem apprecatus  
hoc ſpecimen inaugurale*

*ſubmiſſo animi cultu & obſequio*

*offert*

IOH. CHRISTOPHORUS *Thill.*





I. N. D. N. I. C.

PRÆLOQUIUM

*Ad Benevolum Lectorem.*



Quum animum ad scriben-  
dum appuli, ut thema quoddam  
Inaugurale proponerem, insimul-  
que rationem studiorum iis, quo-  
rum interest, qualem qualem exhi-  
berem, illud negotii mihi solum da-  
ri credidi, ut si non multis, paucis tamen iisque  
æquis rerum æstimatoribus hæc mea opera pla-  
cere possit; parum moratus eos, quibus in prom-  
tu est objicere, quod argumentum susceperim  
arduum admodum & cautè tractandum, quod-  
que alterius cujusque quam privati hominis ca-  
lamum occupare debeat. Hos etenim latere mi-  
nimè volumus, nec propriò nec temerariò ausu,  
quin svasu potius & consiliò eorum, qui studiis  
hactenus optimè consulère, hanc ingenii exer-  
citationem subiisse, quorumque subsidiis atque  
documentis, si quà in re præsentis utiliter & rectè  
versatus sum, acceptum unicè fero. Faceffant

A 3

igitur,

ill.



igitur, qui dextros aliorum conatus obliquis atque invidis oculis intueri gloriæ sibi ducunt, nihilque rectum, quod non ipsi fecerunt, esse putant. Illud meritò dolemus, quod libris istis, qui vel maximè subsidio nobis esse poterant in hoc argumento, carere debebamus: nam in tanta Publicistarum multitudine, qui Jura Imperatoris in Sacris Catholicorum, qui Jura Ejusdem in Sacris Protestantium ex fontibus suis eruere plenè & peculiariter instituerit, hætenus quod mihi constet repertus est nemo, ut mirum adeò non sit, multâ imperfectione laborare hunc fundamentò suò destitutum ingenii foetum, quos tamen defectus benevolus Lector eò proniùs (ita speramus & optamus) condonabit, quò firmior nos spes alit, fore inter alia in his ipsis thesibus, quæ intimiùs considerata si non laudem, assensum tamen mereri facile poterunt. Sic benè vale & conatibus meis fave!

### THESIS I.

**I**nter splendida Majestatis Imperatoriæ (quâ nil augustius in humanis novit terrarum orbis, Chastan. in *Catal. glor. mund. part. 5. consider. 27.* Besold. *de Jur. preced. c. 2. n. 2.*) decora atque nomina non aliud ferè tum ob muneris sui amplitudinem tum ob dignitatis præcellentiam illustre magis occurrit eò, quò Imperator supremus atque universalis totius Christiani orbis

3.

orbis Protector audit: qui titulus magnificus in tantum se extendit, ut non solum omnes in universum homines cuiuscunque dignitatis, ordinis & status cum bonis atque patrimonii ipsorum comprehendat, sed & amplius integra Regna, Ducatus, Principatus, Comitatus, urbes & provincias ambitu suo complectatur, imò nec in hisce secularibus tantum subsistit, sed insuper ad Ecclesiastica, Monasteria nempe, Tempa & Ecclesias omnes cum ipsis personis Ecclesiasticis porrigitur, *Gloss. in cap. 1. de supplend. neglig. prelat. in 6.* unde nova quaedam species prodit, quæ in Legibus publicis Advocatia Ecclesiastica passim dicitur. Quod ipsum argumentum nobilitate suâ & præstantiâ dignissimum visum est, de quo præsens nostra Dissertatio concipiatur. Faxit supremum Numen, ut omnia, quàm felicissimè cedant!

## TH. II.

In Advocatiæ vocis Homonymia atque Synonymia evolvenda non adeò sollicitus ero, cum diu ante hunc laborem sedulo perfunctus sit doctissimus Magerus in *Tractatu suo de Advocatia armata tot. cap. 2.* qui hoc argumentum ad exemplum perfectæ tractationis (ita enim Boeclerus iudicio vel maximè potens in *Notit. Imper. l. 16. c. 3.*) excoluit. Ubi tamen vel verbò indicandum, quod laudatus Autor in illo toto libro non aliud quam mutuuum Patroni & clientis erga se invicem officium in protectionis munere ex instituto declarandum sibi sumserit, quam protectionem & clientelam ad Regimen Status subalterni in Jure publico referimus, *vid. Conspect. Jur. publ. Magnif. Dn. Lynckeri.* Illud solum ad Etymologiam pertinens adjicimus, Imperatorem Romanum ex eo dictum videri Ecclesiæ Romanæ Advocatum, quasi à Romano Pontifice ad Ecclesiæ Catholicæ Imperiali auxiliò recipiendas Justitias, ceterasque relevandas necessitates

4.

tates vocatus sit, nimirum ut in ejus fortitudine brachii  
defensentur Ecclesiæ libertates, & Jura manu teneantur, hære-  
ses extirpentur, cultus Christianæ fidei amplietur, & inimicis  
ejusdem prostratis populus Christianus in pacis pulchritudi-  
ne sedeat & requie opulentâ quiescat, Abrah. Bzovius con-  
tinuator *annal. Eccles. Baronii Tom. 13. A. 1201. n. 4.*

### TH. III.

Hoc etiam ad declinandam confusionem notandum,  
non uno modo Advocatiam Ecclesiasticam dici. Latò  
significatu est jus defendendi Ecclesiam, sive defensor impe-  
rio in eam aliquo, sive nullo gaudeat. Strictè autem dici  
potest jus regendi tuendique Ecclesiam, vi imperii summi  
competens. Quæ in cognoscenda Imperatoris quoque  
Advocatia Ecclesiastica observari debent. Strictissimè de-  
notat extraordinariam illam & specialem sedis Apostolicæ  
Advocatiam, quam Carolus M. ejusque successores specia-  
liter susceperunt, Limn. *in Annotament. ad Capitulat. Caroli  
V. art. 1. p. 133.* Strauch. *Dissert. exoter. D. 4. tb. 12.* Illa  
quæ vi imperii competit, distingvitur in *superiorem, propri-  
am & immediatam*, qualis est, quam Imperator habet vi Ma-  
jestatis & Jurisdictionis universalis in Imperio; & in *inferio-  
rem seu subordinatam, mandatam atque mediatam*, quam  
vel Status Imperii Jure superioritatis territorialis in Ecclesiis  
exercent, vel Imperatores aliis committunt, Mager. *d. Tract.  
c. 3. n. 167.* Magnif. Dn. Struv. *in Syntagm. Jur. Feud. c. 4. apb.  
20.* Distingvitur aliàs quoque Advocatia in communem  
Ecclesiarum, quando cum tutela & defensione admini-  
stratio bonorum, Jurisdictio in causis non ecclesiasticis, &  
rei œconomicæ omnis cura alicui commissa erat, & in singu-  
larem Ecclesiæ Romanæ, quæ amplius quid in recessu habet,  
Lehmann. *in Chron. Spirens. l. 2. c. 36.* Dan. Heider. *von Reichs-  
Bogteyen p. 53.*

IV. Fun-



5.  
T H. IV.

Fundamentum Advocatiæ, quatenus Imperatori vi imperii competit, Jus Sacrorum in Republica nostra constituimus. Cùm verò potestatis hujus exercitium propter Hierarchiam Pontificiam, Romanis Imperatoribus incumbentem, nullâ licet æquitatis specie in dubium aliquando vocetur; hinc collectis in unum potioribus rationum momentis & argumentis, ex omni temporum serie deductis, Jus hoc circa Sacra, quod in genere omnibus in Christiano orbe Principibus atque Rebus publicis, quàm latè patent, competit, Imperatori quoque nostro attribui posse, luculenter probabimus.

T H. V.

Constat ex principiis Jurisprudentiæ publicæ & sanioris Politicæ, curam Sacrorum illi competere, penes quem τὸ κέρειον est in Republica. Scilicet ut aliàs rem ex fine suo æstimari convenit, ita in civilibus Rempublicam. Hic, si externum & ultimum respicias, non alius est quam salus publica, vita civilis beata. Respublica beata fieri nequit, nisi singula in ea dextrè & prudenter ordinentur. Ordinanda in Republica partim Sacra partim profana sunt: utriusque sollicitudo ad eum spectat, qui Reipublicæ præest, eò quod neutrum per se beatitudinem civilem perfectè adæquare possit, sed partem solùm salutis publicæ constituat. Firma igitur & immota inde fluit concludendi ratio: Sine quibus beatitudo civilis & salus Reipublicæ obtineri nequit, ad illa Reipublicæ Rectoris cura se extendere debet.

T H. VI.

His ita præmissis ad ipsam causam efficientem ascendendo rem altiùs ita repetimus: Nulla potestas terrena, nullum imperium civile à se ipso est, casu aliquò fortuito

B

aut

aut solâ humanâ institutione ordinatum, quin existentia suæ principium ad DEum referat, eumque sui Autorem debitâ ratione agnoscat atque veneretur. Hic magistratui civili Rempublicam omnem sine exceptione aut distinctione objecti, quod regendum, commisit, eumque sui Vicarium in his terris constituit. Exercet igitur hanc potestatem magistratus non Jure propriô ut Dominus, sed Jure concessô à Domino & Autore suo tanquam Vicarius; exercet eam plenô Jure, quia imperium civile in totam civitatem validum est, ita ut nihil ejus arbitrio & directioni, quod partem publicæ salutis & civilis beatitudinis constituit, subtrahendum sit. A quo igitur (ita rectè iterum concludimus) summa in Republica potestas vim regiminis publici consecuta est, ab eodem tributum quoque ei Jus curandorum Sacrorum censeretur, quatenus sine iis tuta satis & beata esse nequit Respublica.

#### TH. VII.

Nunc ut eò certius judicium feramus de his, quæ Principi circa Sacra competunt, abstrahendo à moribus successivè introductis & à singulorum Regnorum consuetudine & concessione, non ad præsentem rerum & Ecclesiæ Romanæ statum respiciemus, nec pro norma universali habebimus, quod in hac vel illa Republica nunc obtinet, sed quod olim in Ecclesia Christiana observabatur, & pro bono Ecclesiæ & Reipublicæ observari nec Dei præcepto nec sanæ rationi repugnat, hodieque in nonnullis locis observatur.

#### TH. IIX.

Ante omnia verò nobis constare debet, quænam illa Sacra sint, quorum cura & tutela ad eum spectat, qui officii summi, quod gerit in Republica, ratione de illius felicitate sollicitus esse debet. Non enim in immensum se extendit

tendit amplissima aliàs potestas circa Sacra, sed certam quandam determinationem habet tam in suo universali complexu quam in singulis circumstantiis. Certi nempe limites & aggeres positi sunt ei, qui in Republica Sacra ordinat & negotium religionis conficit, quos si transgrediat, extra suam Jurisdictionem Jus dicenti impunè non paretur. Deficit enim obsequii necessitas, quando peccatum est in mandato.

### TH. IX.

Curam Sacrorum communiter distinguunt in internam & externam. Illa ministerii divini est, & in verbi divini prædicatione, Sacramentorum administratione & usu legitimo clavium consistit: quæ singula à DEO immediatè dependent, & secundum Scripturæ normam per Sacerdotes expediuntur, ita ut imperium civile nihil Juris in iis sibi arrogare possit, nisi quatenus abusui obstat, & quæ per se facienda sunt, suis præceptis ac tutelâ promovet. Externa cura iterum suis capitibus absolvitur, inter quæ eminent: (1) ut Princeps in Republica introducat veram religionem & falsum cultum corrigat. (2) ut Sacris præficiat personas idoneas, & qui doctrinâ aut moribus degenerant, removeat. (3) ut constituat forum Ecclesiasticis personis singulare, iisque certas immunitates largiatur & conserveat. (4) ut bona Ecclesiastica debitò modò administrari curet, & (5) ut causas Ecclesiasticas legitimè dijudicari faciat, Magnif. Dn. Lyncker. *in Analect. ad Jus Publ. Svederi Part. Spec. Sect. I. cap. 5. §. 6. & in Tract. de Gravam. extrajudic. P. II. cap. 3. Sect. II. num. 20.*

### TH. X.

Jam si per historias omnium seculorum eamus, & Chronica etiam Regum, quotquot unquam fuerunt, percurramus,

B 2

facile

facile deprehendimus, sacra hæc munia quoad singulas partes Majestatis civilis curæ & directioni omni tempore submissa fuisse. Ita in Hebræorum Republica & Ecclesia optimos quosque Reges & magistratus non citra laudem & divina præmia religionis & Sacrorum curam suscepisse, exemplò Mosis, Josuæ, Saulis, Davidis, Salomonis, Asæ, Ezechiæ & aliorum ipsa divina oracula abunde probant.

### TH. XI.

Hoc imperium circa Sacra Reges illi in Republica Judæorum usque ad Babylonicam captivitatem non solum continuò usurpârunt, (idque vi regii officii seu muneris magistratici, non ex speciali commissione, quæ in Reges Christianorum cadere non possit) sed & ipsi aliquando Sacerdotium obierunt, manifestò indicio, Sacerdotium & imperium svaviter inter se conspirare & in una sede morari posse, quod egregiè firmat locus Optati Milevitani l. 3. quando ait: *Non est Respublica in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica*, hoc est, Ecclesia in Republica sedem suam habet, & in illa tanquam in domicilio proprio hospitatur, ita ut officium magistratûs non minus in illam sese exerat atque in reliquas Reipublicæ partes, vid. Jacob. Gothofred. *Dissert. de Pontif. Imperat.* Bosius *de ead. mater.* & amplissimè Petr. de Marca *de Concord. Sacerdot. & Imper.*

### TH. XII.

Eandem pro magistratûs circa Sacra imperio sententiam orthodoxa Christianorum Ecclesia junctis Patrum testimoniis omni ævo pronuntiavit, cui adstipulatur omnium gentium consensus, imò ipsius Juris Canonici *can. Boni Principis. 16. dist. 96. c. Principes seculi. 20. q. 5. XXIII. c. Administratores. 26. q. 5. XXIII.* & Pontificiorum Theologorum, qui cæteroquin nimium in hac re Præsuli suo deferunt, confessio,

9.  
sio, quod infinitis locis jam ab aliis exquisitiore apparatu cum-  
mulatis illustrare facillimum oppidò fuerit, quibus transcri-  
bendis, ne actum agere videamur, meritò hìc supersedemus.  
Confirmant idem Jus secundum recentiore Imperii sty-  
lum Principibus & Statibus Acta publica à Lundorpio, Gol-  
dasto aliisque magnò studiò collecta, Constitutiones Impe-  
rii, Recessus, Instrumenta Pacis, Transactiones, vid. Myler. ab  
Ehrenbach. *de Princip. & Statib. Imper. P. 2. c. 82. sqq.* Burgol-  
dens. *ad Instrument. Pac.* Pfanner. *in Histor. Pac.* Petr. Syring.  
*de Pac. relig.* Magnif. Dn. Lyncker. *in Analect. ad Jus Publ.*  
*Svederi Part. Spec. Sect. II. cap. 12. §. 1. & in Tract. de Gravam.*  
*extrajud. P. II. cap. 3. sect. II. n. 19.*

### TH. XIII.

Nunc quis tantum audaciæ sibi sumat, quis eò vel teme-  
ritatis vel arrogantiae procedat, ut imperium in Sacris non  
minus quam profanis, quod secundum hactenus dicta omni  
magistratui, qui civitatis & reipublicæ clavum dirigit, offi-  
cii ratione competit, Imperatori in dubium vocet? Huic  
enim sicut DEUS ipse summum rerum arbitrium in terris  
suis dedit; ita imperiosò Majestatis caractere tanquam stella  
matutina super omnes eminent, universalique Jurisdictione  
suâ omnes Imperii Romano-Germanici angulos implet, quin  
nihil majus, nihil sublimius etiam extra Imperii fines dici  
aut excogitari potest, quod splendorem istum Majestaticum  
adaequet, *l. 9. D. ad L. Rhod. d. jact. l. 3. C. d. quadrienn. pre-*  
*script.* Facit hùc insignis locus Hornii *l. 1. de civit. c. 4. §. 18.*  
dicentis: *Qui universæ Reipublicæ salutem (idem Imperator*  
*respectu Imperii facit) procurat, & singula momenta civilia*  
*expendit: cujus arbitriò decernuntur omnia magnarum re-*  
*rum consilia, ei nec hanc summi imperii portionem detrabi o-*  
*portet.*

B 3

TH. XIV.

## T H. XIV.

Igitur ut omnium imperantium, ita & Imperatoris prima & præcipua cura Sacrorum esse debet, quò præstantior hæc beatitudinis civilis pars, utpote quâ ad ipsius DEI cognitionem perducimur. Imperator enim in id præcipuè à DEO constitutus est, ut omnia ad divinam gloriam & animarum salutem referat, nulla autem melior vivendi ratio, quam quæ ad DEum considerandum maximè facit, teste Aristotele *in fin. Eudemior.*

## T H. XV.

Agnovère hoc suum officium optimi quique Imperatores & in eodem à sapientibus confirmati sunt. Ita Constantinus M. à primo Imperii sui momento nihil prius aut antiquius habuit quam ut religionem, quæ Rerum publicarum vinculum & fulcrum rectè dicitur, ordinaret, cujus libertatem non modò Christianis omnibus concessit, sed etiam subditos suos ad amplectendam fidem Christianam seriò admonuit, in quo ipse laudabili exemplò suò aliis præivit. Probat impensum illius promovendæ religionis studium Epistola, quam inter cætera hujus Imperatoris memoratu digna annotavit Eusebius *in vita ejus l. 3. p. 891.*

## T H. XVI.

Similis cura in constituendis atque emendandis Sacris Constantini successores Marcianum, Theodosium, Valentinianum & alios sollicitavit ac derinuit, quorum singulos actus, dicta atque facta ad cultûs divini propagationem directa hîc recensere nimis longum foret. Justinianus autem Imperator pientissimus minimè silentiò nobis prætereundus est, qui sacratissimis Constitutionibus Codici suo, quem à Sacris etiam auspicatur, insertis, ardentissimum suum Zelum  
erga

erga religionis studium satis omnibus testatum fecit. Cujus vestigia postmodum Carolus etiam non sine laude preslit, qui sub auspiciis regni sui de reducenda ad concordiam Ecclesia seriò cogitavit. Notabilia in hanc rem sunt verba Rec. Imp. Spir. d. A. 1544. §. *Erstlich der streitigen Religion halber. 77.* in quo sui officii Carolus esse dicit, diversas in Imperio religiones conciliare, & ad unam veram reducere. Clariùs idem exprimit Rec. Imp. Aug. d. A. 1548. §. *Nachdem auch in berührtem Rathschlag. 13.* ubi fidem Statibus interponit Imperator, si quæ in sacris ceremoniis erroris aut superstitionis plena irrepsierint, à se emendatum iri; & novissima Osuabrugensis Pacificatio *art. 5. §. Quod verò ad Comites. 39.* Imperatori Romano idem Jus dat reformandi religionem, quod alii Reges & Principes in suis Rebuspublicis habent.

### TH. XVII.

Hâc igitur ratione Carolus, hâc etiam sequentes in Imperio Romano sibi invicem succedentes Imperatores semper Jus circa Sacra exercuerunt, idque non ex privilegio quodam vel consensu Papæ, ut multi vanè interpretantur, sed vi & virtute regię potestatis à solo DEO (prout ex Sacris non unò locò constat) concessæ, quod satis innuunt verba in Rec. Imp. passim occurrentia: *in Krafft unsers obliegenden Kays. Ampts; unserm tragenden Ambt nach ic.* quod Jus Electores Moguntinus & Trevirensis in electione Caroli V. statim agnoverunt, *statum Reipublicæ desiderare talem Imperatorem, dicentes, qui præter alia constituat & emendet religionis statum.*

### TH. XVIII.

Hactenus in genere Imperatori nostro Jus Sacrorum cum rationibus tum exemplis asseruimus; ita ut nunc amplius ejusdem Majestatis vim per partes potestativas, quæ  
tàm

tàm latè patent quam ipsa Majestatis natura, singulatim intueri plenior rei tractatio desiderare possit. Ita nimirum comparatum est, ut vis summi imperii in sacris rebus non simpliciter acquiescat in universali totius religionis curatione, ut non singulis etiàm partibus, quæ suis vitiis interdum laborant, inspectione & opportunâ ope possit succurrere. Quod enim Juris est in toto, idem & in partibus, quarum complexu atque compositione totum constat. Sed cùm hi actus speciales circa Sacra (quos inter eminent Legislatoria Imperatoris potestas circa Sacra, Jurisdictio suprema circa personas & res sacras, Electio ad officia & munia sacra, Dominium, uti vocatur, eminens super res Ecclesiæ, & quæ plura hisce actibus cohærent) ex ipso Advocatiæ Imperatoriæ exercitio, quod paulò inferius describemus, melius cognosci atque percipi possint, suffecerit nobis per Indicem solùm, ut ratio ordinis sibi constet, hîc eos attingisse. Videantur amplè hanc in rem Hug. Grot. *de Imper. Summar. Potest. circa Sacra*, & qui ad nostra tempora accommodatior Henric. Hennig. *de Summa Imperator. Roman. Potest. circa Sacra*, Jacob. Lampad. *de Republ. Romano-German. P. 1. §. 10. seqq. & P. 3. c. 11. & 12.* Hermann. Conring. *Dissert. de Majestat. civil. autoritat. & offic. circa Sacra* it. *Dissert. de Majest. civil. th. 57. seqq.*

### TH. XIX.

Originem Advocatiæ ut à præsulibus Romanis ad Imperatores nostros pervenit, ab incunabulis & primis initiis suis repetituri ad antiqua historiarum monumenta confugimus. Deprehendimus autem, non convenire inter se Scriptores in definiendo termino, à quo Advocatiæ Ecclesiastica primùm usurpari cœpit, dum nonnulli ad Caroli M. tempora antiquitatem ejus referunt, quod inter alios facit Lehmannus omni fide dignissimus Historicus *in Chronico suo Spi-*



*Spirens. l. 2. c. 40. & Knichen, in Commentar. de Saxon. non provocand. jur. c. 5. n. 495. Magerus autem d. Tr. c. 5. n. 114. seqq. eam multò vetustiore esse, & jam in Synodo Melevitana A. 402. tum & in Concilio Carthaginensi A. 389. hujusmodi Advocatiarum mentionem factam esse dicit, ubi etiam Diplomata Regis Francorum Dagoberti post Seculum VI. data super hisce Advocatiis refert; quin imò cum ipsa monastici statûs institutione primordia sua cepisse n. 88. d. c. 5. asserere non dubitat. Hinc postquam pluribus argumentis Knichenii sententiam refutasset, hoc veluti certum & indubitatum inde colligit: Ecclesiasticam Advocatiam non primitus Caroli M. aut ejusdem genitoris Pipini ætate exortam, sed uti à Romanis gentilibus ad primum Christiani nominis Imperatorem Constantinum M. transfusam, ab eodemque aliis Imperii successoribus per manum quasi traditam, ita postmodum à Græcis Principibus eò tempore ad prædictum Carolum unà cum Imperio Romano promanasse. Sed non adeò multum à se invicem discedere mihi videntur hæ sententiæ, ipse enim Magerus paulò post Knichenii sententiam probat, dummodò is originem de vigore Advocatiarum, qui eò tempore maximus fuit, intelligat, ultrò etiam largitur, quod Ecclesiæ Romanæ defensio à Sede Apostolica Regibus illis Francorum & Carolo M. speciali quâdam prærogativâ & per quandam excellentiam attributa fuerit, d. c. 5. n. 331. seqq.*

## TH. XX.

Nunc ulterius causam & occasionem introducendæ Advocatiæ illius ex historiis breviter enarrabimus. Cùm temporibus Caroli Martelli & successorum Apostolica sedes excussò Græcorum Imperatorum imperiò tam internis motibus agigaretur, quàm externè variorum populorum injuriis

C

&amp;

& insultibus exposita esset, Gregorius tum temporis Pontifex tot hostibus hinc inde imminentibus se imparem conspicatus, ne res Ecclesiae Romanae pessum irent, ad externa Francorum auxilia confugere coactus est, scriptisque literis DE I Petrique causam & Constantini M. tum primum utiliter jactatam donationem impensè commendavit, per omnia divina humanaque obtestatus, ne Ecclesiae periclitanti opem ferre amplius cessarent.

Igitur Carolus cognomento Martellus Caroli M. avus primus suscepto Romanae Sedis patrocinio eam adversus periculosa Longobardorum arma, qui cupiditate finium proferendorum Italiam saepius infestarent, fortiter texit, urbemque Romam à Luitprando Longobardorum Rege obsessam metu liberavit. Deinde Pipinus Aistulphum Luitprandi successorem expugnatam Ravennam ad ipsam Romam castra ponentem bis ab opulenta praeda revocavit. Successit mox Carolus pietati majorum, qui Desiderium Longobardorum Regem ex eadem causa, quod Pontificis res invaderet, Papiam obsessum cepit, occupato omni Longobardorum regno, quod sic à Desiderio ad Carolum & à Longobardis ad Francos devenit, Lehmann.

*m. d. Chron. Spir. l. 2. c. 40. Mager. d. c. 5. n. 280. seqq.*

### TH. XXI.

Tantum maximorum Regum studium, totiesque susceptus pro tutela & salute Imperii Romani labor, quò non solum res Ecclesiae in integrum restituta, sed & insuper magnificè dote aucta, ornata & locupletata fuit, dignus visus est Pontifici atque populo Romano, ut honorificis titulis & nominibus hos munificos sui benefactores condecorarent. Hoc enim à multis jam seculis non sine artificio usurparunt Pontifices, ut Principes Christianos de se suisque rebus benè merito honorificè compellarent, verbalibus donis gratiam realium

realium beneficiorum relaturi, B. Dn. Ziegler. in *Programmate quodam de controversia der Quartiers-Freyheit inter Francie Regem & Pontificem Romanum non ita pridem agitata*, Witteberg. 1688. edito. Carolus igitur Advocatus Ecclesie factus est, qui titulus non inania verborum sed ipsum Jus officii complectebatur; nam prima illius pars in defensione Ecclesie ab externo hoste consistebat, altera in ordinandis Ecclesie rebus occupabatur. Potuit nempe Carolus vi Advocatie sibi concreditae Ecclesiam in vitia & corruptelas morum prolapsam purgare & sanitati restituere, usum legitimum Sacrorum promovere, abusum verò corrigere & prohibere, invalescentes hæreses & nociva schismata suppressere, in Ecclesiastico regimine leges rogare & abrogare, Synodum ad consultandum de Ecclesie salute convocare, in illa præsidere, & judicio decisivò opinionum divortia in diversas partes & factiones abeuntia determinare, Jurisdictionem in totum ordinem Ecclesiasticum ne exceptò quidem Pontifice exercere, cognoscere de criminibus Pontificum & reliqui sacri Ordinis, Pontificem eligere vel à populo electum confirmare, sceleratum verò condemnare & deponere, Archiepiscopos & Episcopos constituere & remove, prætereà etiam curam & inspectionem bonorum Ecclesiasticorum habere, ne patrimonium Petri luxu & prodigalitate Paparum aut infida administratorum curatione damnnum caperet. Hos & similes actus circa Sacra Carolus ut legitimè constitutus Ecclesie Advocatus non modò diligenter executus est, sed etiam officii ratione sibi vindicare potuit, prout apparet ex *can. Hadrianus. 22. dist. 63.* vid. Lehmann. *d. l. 2. c. 40.* cui jungi meretur Pithæus & Eginhard. *in vit. Carol.*

### TH. XXII.

Equidem dubitari non potest, quin Pontifex & Romanus magistratus etiam in hac regiminis parte quadam suo

arbitrio reliquerint ac reservârint ; tamen postquam Carolus ob insignia in Ecclesiam & Rempublicam Romanam merita & Heroicas planè animi virtutes Patriciatum (quæ dignitas Imperatoriæ proxima) & cum eo simul politicam administrationem bonorum temporalium, quæ Principum beneficiò Ecclesiæ obvenerunt, accepisset, pauloque post unanimi totius populi Romani consensu & applausu Romæ ipsis Christi Natalitiis Imperator proclamatus esset, Advocatiæ limites amplissimè extensi sunt, & cum Juribus Imperatoriis ita intimè uniri ea cœpit, ut nunquam inde potuerit avelli. Quin quod antea speciali Advocatiæ titulo constituere in Sacris poterat, id deinceps vi Majestatis constituendi jus habebat. Non enim (quod nonnullis placet, quos refutat Conring. in *Tract. de German. Imp. Rom. c. 7.*) illâ Imperii delatione nudum tantùm nomen Carolus consecutus est, sed unâ cum titulo Imperatorio dominium & Jurisdictionio in urbem Romam & cœteras regiones, quæ Patrimonio Petri accensebantur, & in genere omnis dignitas, honor & Jura, quibus Imperatores Græci antea gaudebant, in quorum locum ipse Carolus suffectus est, simul transiêre. Ipsum quoque Pontificem Jurisdictioni Caroli fuisse subiectum, satis arguit humillima illa subjectio & adoratio, quâ Carolum jam coronatum cum Episcopis & omni Clero excepit Leo, sicut hoc singulare de actu isto solenni, quod alii Pontificiis partibus addicti consultò omisêre, annotat Lehmann. *d. l.*

### TH. XXIII.

Tantum igitur abest, ut in Carolo Imperatore, qui vi summæ potestatis & imperii civilis nihil non potuit in Republica Romana, Advocatia Ecclesiæ extincta sit, ut potius ingenti in Ecclesiam Zelo & communi illorum temporum devotione ad specialem ejus tuendæ obligationem singulari se obstringere juramentò voluerit. Formulam hîc inserere lubet:

In

In nomine Christi spondeo atque polliceor Ego  
 Carolus Imperator coram DEO & Sancto  
 Petro Apostolo, me Protectorem & defenso-  
 rem fore hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in  
 omnibus utilitatibus, quatenus divinô fultus  
 fuero adjutoriô, prout sciero poteroque.

Huic formulæ congruit illa, quæ in Ceremoniali Romano  
 extat *l. 1. Sect. 5. c. 3.* Verba ita habent:

Ego N. Rex Romanorum adjuvante Domino  
 futurus Imperator, promitto, spondeo, &  
 polliceor, atque juro DEO & Beato Petro,  
 me de cætero protectorem atque defensorem  
 fore summi Pontificis, & Sanctæ Ecclesiæ Ro-  
 manæ, in omnibus necessitatibus & utilitati-  
 bus ejus, custodiendo & conservando posses-  
 siones, honores, & Jura ac Jus, quantum  
 divinô fultus adjutoriô poterô, secundum sci-  
 re & posse meum, rectâ & purâ fide. Sic me  
 DEUS adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia.

TH. XXIV.

Sunt qui hoc solenne Sacramentum à Carolo & succes-  
 soribus ejus Pontifici præstitum fidelitatis juramentum in-  
 terpretentur, unde illud absurdum consequi possit, Imperi-  
 um Romanum Sedis Apostolicæ Feudum, & Imperatorem  
 Pontificis Vasallum esse. Sed cum ex historiis nunquam o-  
 stendi possit, Imperium à Pontifice in Carolum translatum  
 esse, & sic neque nexu feudali neque aliô quôvis vinculo ab

C 3

eo

eo dependere, hinc sententiam illam adulatoriam merito  
rejecimus & damnamus, vid. Mager, c. 9. n. 146. seqq. Limn.  
in Annotam. ad Capitulat. Carol. V. art. 1. p. 133. Strauch. Diff.  
exoter. D. 4. th. 12.

### TH. XXV.

Translatô à Carolino stemmate ad Saxones & sic Ger-  
manos Imperiô Romanô, muneris Advocatitii etiam partes  
cum reliquis Imperatoriæ Majestatis juribus ad successores  
pervenere. Nam de Ottone I. historiæ nobis fidem faciunt,  
quod parem in omnibus fortunam cum Carolo M. habue-  
rit, quippe vocatus à Pontifice Johanne XXII. in Italiam, ut  
liberaret Ecclesiam Romanosque à violentia Berengarii & A-  
dalberti, utrumque debellavit; hinc sicut Carolus pro remun-  
eratione coronatus fuit Imperator à Pontifice, sic Otto quo-  
que suscepit Imperatoris nomen & diadema, & unâ cum  
Imperio Romano Ecclesiæ Advocatiam, quam virtute suâ  
meruit; qui deinceps solenni juramentô promisit, se Eccle-  
siæ Romanæ patrimonium, jura & autoritatem semper de-  
fensurum, dum vicissim Pontifex fidem suam Imperatori no-  
vo obstringeret de obsequio ad eum modum ipsi & hæredi-  
bus præstando, sicut Hadrianus Carolo M. fideli subjectione  
exhibuit, quod ita factum legitur in Gratiani Decreto *can. in  
Synodo. 23. dist. 63.*

### TH. XXVI.

In Carolo igitur & Ottone sequentibus Imperatoribus  
Romanis, quippe in eodem dignitatis atque potestatis gradu  
succeedentibus sicut Imperii ita & ordinandi Sacra, & defen-  
dendæ Ecclesiæ Jus, & quæ ab eo dependent, quasitum est,  
ita ut nec hodie iis ullâ ratione detrahi aut controversi pos-  
sit. Hujus asserti præter jam dictas rationes sequentia ad-  
huc

huc fundamenta allegamus: (1) Carolus eò quod Longobardos terris Ecclesiæ ejecit, & quas tanquam victor sibi retinere potuit, salvâ super iisdem Imperatoriâ in omnibus dominatione & subiectione Romanis cessit, Advocatiam virtute bellicâ sibi partam hæc ipsâ clausulâ excepit atque optimè commeruit; hæc enim prima Advocatiæ conferendæ occasio fuit, remuneratio atque compensatio pro serviitiis Ecclesiæ præstitis. (2) Carolus Ecclesiam bonis temporalibus diravit atque dotavit; hinc Advocatia legalis & canonica, quæ fundatur *in cap. Venerabilem. vers. nunquid. X. d. elect.* ipsi denegari nequit, Mager. c. 3. n. 164. Certum enim est, quod omnis donatio in Ecclesiam (explosâ Constantianea, quæ ut ipse Baronius *in Annal. Eccles. sub A. 1191.* agnoscit, in rerum natura nunquam extitit) à Pipino, Carolo & Ludovico primum profecta per successores deinceps vel confirmata vel aucta fuerit, Lehm. d. 1. (3) Ecclesiæ patrimonium in Imperio situm & ab eo nunquam exemptum fuit, sic ergo Carolus iterum Jure Superioritatis, atque ut cum aliis hoc vocabulò utamur, Jurisdictionis Advocatiam Ecclesiæ sibi vindicare potuit, & consequenter hæc possessio Juris totidem titulis Carolo asserta Jure successorio ad alios etiam Imperii successores per manum quasi tradita pertinere potuit.

### TH. XXVII.

Quod si Leges Imperii hac in re consulamus, ex pluribus eorum locis haud obscurum est, Cæsares non olim duntaxat, sed & hodie in defensionis Ecclesiarum titulis plausisse, eosque publicè usurpasse. Id quod primò ostendit Rec. Imp. Colon. d. A. 1512. §. Und nachdem. 4. & R. I. Augustan. d. A. 1518. §. Erstlich. 1. ubi Imperator der ganzen Christenheit Schutz und Schirm Herr vocatur. Deinde nuncupatim Ad-

Advocatus Ecclesiae in R. I. Ratisbon. d. A. 1541. §. aber Chur-  
Fürsten. 19. verb. Und Uns als Advocaten und Beschirmer  
der Christl. Kirchen &c. & R. I. August. d. A. 1548. §. Damit  
dann. 6. verb. So wollen Wir als Advocat der Heil. Kirchen  
und Beschirmer der Concilien &c. appellatur. It. R. I. Spir.  
d. An. 1529. §. Und anfänglich. 1. verb. Daß Ihr Käyserl.  
Majest. als der Obrist / Haupt und Vogt der Christenheit &c.  
R. I. August. d. A. 1530. §. Nach dem aber. 10. verb. als Röm.  
Käyser und Oberster und Vogt der Christenheit &c. indigita-  
tur. Quod etiam reperire est in Jure Saxon. Weichbild. art.  
8. verb. daß der Käyser dem Stuhl zu Rom vorstehen soll von  
St. Peters wegen / davon er auch Römischer Vogt heisse. Item,  
Daß Ihm das Schwerdt / die Kirche wieder alle Feinde des  
des Glaubens zu verfechten befohlen / vid. Gryphand. de  
Weichbild. Saxon. c. 63.

### TH. XXIX.

Ita novimus electum Regem Romanorum & Imperato-  
rem in *Capitulationibus* initio statim art. 1. jurato promittere:  
se populum Christianum, Sedem Romanam, Pon-  
tificem Romanum & Ecclesiam Christianam tan-  
quam eorum Advocatum protecturum esse,  
vid. *Capitulat. Caroli V.* (quâ antiquiorem non habemus) *Ca-  
pitulat. Ferdin. I. Maximil. II. Rudolph. II. Matthia, Ferdin.  
II. Ferdin. III. Ferdin. IV. Capitulat. Augustissimi Leopoldi & Se-  
renissimi Josephi*, quod etiam in *Capitulatione perpetua* in-  
sertum legitur art. 1. incip. der erwählte Römische König und  
Käyser soll und will die Christenheit / den Stuhl zu Rom / Päpst-  
liche Heiligkeit / Christliche Kirche / als derselben Advocat in gu-  
ten treulichen Schutz halten &c.

### TH XXIX.

Huic obligationi conveniens & conscientiae simul ex-  
one-



onerandæ illustre exemplum (quod ob infecutum tristissimum bellum omnium proh dolor! oculis & animis adhuc obversatur) nuper dedit Gloriosissimus Leopoldus noster, dum omnem curam & sollicitudinem in hanc partem Reipublicæ traxit, ut Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensi ejus auctoritate præficeretur Pastor & Archiepiscopus, qui idoneus doctrinâ & moribus, Pacis prætereà & concordiam amans, Legibus Reipublicæ assuetus, Cæsari & Imperio fidus, potentiâ etiam validus existeret. Hoc ipsum sanè est, quò provocavit Excellentissimus Cæsaris Legatus in propositione Capitulo exposita, dum expressè pro comperto attulit, Cæsaream Majestatem sui muneris, Advocatiæ puta, sibi in Ecclesias Germaniæ competentis duxisse, Capitulo exponere, quod Archiepiscopatus huic Electoralis dignitas annexa sit, quam conservare, nec ulli discrimini objicere oporteat, Zachar. de Bona Casa in *Tractat. nuper edit. de Archiepiscop. Colon.*

### TH. XXX.

Ex dictis hæctenus quivis facile animadvertit, quam necessarium, quamque honorificum & utile hoc munus sit in Imperatore. Necessitas sanè in eo manifestò sese prodit, si ipsum Majestatis characterem ut verè divinum intueamur, qui si ulla alia in re, certè in demando munere defensoris Ecclesiæ, quam DEUS sibi desponsavit, magnificè elucescit. Divina prorsus vox est Augustini *Epist. 79. ad Leonem Augustum*, quâ Majestatem ita alloquitur: *Debes Imperator incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ presidium esse collatam.* Quod si homo Jure naturali & gentium obligatus est ut alteri defensionem contra vim & injuriam præstet; si vulgò & inter privatos Advocatus ex officio tenetur, ut clientem in judicio ab omni injustitia & adversarii technis tueatur, quidni magis Imperator Ecclesiæ, cui præpositus à DEO, & propter

D

propter

propter quam etiam rationem aliquando redditurus est. Nec enim frustra in Sacris fit, quod ipsa DEI vox tam splendidis elogiis Reges suos in his terris mactet. Vocat eos scuta terræ, & simul officii memores esse vult, ut Ecclesiam à persecutionibus & injuriis muniant. Vocat Nutricios, Tutores atque Curatores, ut Ecclesiam velut pupillam aut infantem nutriant ac tueantur. Vocat defensores & Advocatos, ut Ecclesiam ab omnibus malis immunem præstent. Hinc pronunciare audet, de sua Ecclesia enixè meritis Cardinalis Baronius, *Annal. Ecclesiast. lib. 5. A. 422. n. 3. Ecclesie, religionis & Jurium Ecclesiasticorum defensionem solidum esse ad sustinendam Imperii molem fundamentum ac sustentaculum, quò si careat, corruat necesse est.*

### TH. XXXI.

Defensio verò Ecclesiæ non eò tantùm collimat, ne à vi externa & seculari evertatur. Sed in primis etiam, ne internis & domesticis vitiis inquinetur, ne à pristinis moribus & pietate antiqua deflectat, ne novis & insolitis imò adversis DEI verbo & civili vitæ traditionibus oneretur, ne falsa & hæretica dogmata irrepant, ne Pastores in lupos degenerent, qui ovile Christi miserè deglubunt. In hisce & similibus major certè defensionis Ecclesiæ necessitas apparet, quam ut extraneorum hostium violentiam prohibeamus: semper enim periculosius est civile bellum, sive illud spirituale fuerit sive mundanum eò, quod externum est.

### TH. XXXII.

Et quamvis Advocatia Ecclesiæ magnum defensionis onus sibi annexum habeat, ut ea propter à nonnullis, qui Jura Majestatis ex commodis & emolumentis solùm æstimant, quæ rectiùs ex competentia singularitate & quod eorum exercitium proprium Majestati sit, judicare convenit, in dubi-  
um

um vocetur: num Advocatia Juribus & Regalibus Majestatis accenseri possit; tamen re penitus perspecta magna utilitas se ostendit. Nam si eam civiliter consideres, ipsius dignitatis, autoritatis & potentiae Imperatoriae respectu, debetur Imperatori, tanquam Advocato Ecclesiae, summos honor, summa reverentia, summum obsequium ab Ecclesia & personis Ecclesiasticis, non qualia modo, jure regulari, exhibere tenetur cliens Patrono, Vasallus Domino feudi, sed etiam qualia subditus Principi, & in casu necessitatis subsidia convenientia ejus dignitati & Majestati ad sustentationem subministranda sunt. Quod si Advocatiam ex utilitate naturali Advocati metiamur, Imperator in Imperio gaudet emolumentis ex Advocatia promanantibus juxta antiquam observantiam, & secundum dispositionem Instrumenti Pacis Caesar. Svec. annus 1624. in Germania pro termino positus est, juxta quem observantia & possessio circa hujusmodi talia regulantur; hinc est quod Imperator percipiat Collectas de de bonis Ecclesiasticis, vid. *Ordnung des Regiments zu Augspurg d. A. 1500. tit. daß die Geistlichen allwege von 40. Gulden einen Gulden geben sollen/seqq. Rec. Imp. Tevir. & Colon. d. A. 1512. §. Wo aber geistliche Personen. 22. seqq. R. I. Spir. d. A. 1544. §. Und zu diesem Christlichen milden Werck. 34.* Et praesenti bello Turcico non modo è bonis Ecclesiasticis Germaniae, sed etiam de terris Italiae à Pontifice haud exigua pecuniae summa contributa est. Sanè ipsissima aequitas requirit, quoniam bona Ecclesiastica Advocatiae commodis, protectione scilicet magistratus civilis fruuntur, & bellum etiam pro ipsorum tutela geritur, ut vicissim ex istis bonis ad sumtus necessarios sustinendos quid erogetur. Nam exemptio Clericorum & bonorum Ecclesiae ab oneribus & tributis ex necessitate & utilitate publica limitationem quandam recipit.

Objectum Advocatiæ Ecclesiasticæ (ex quo etiam naturam Subjecti cognoscere licet) sunt Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Capitula, Abbatia, Prælaturæ, Canonatus, Baliviæ, Præposituræ, Commendæ, Collegia, Monasteria, Tempa, & si Advocatiam latò significato spectemus, Catholica totius orbis Ecclesia, quæ per omnes Christianas Respublicas diffusa se extendit. Equidem in hac tuenda Reges, Principes, Ordines & Status totius Christiani orbis, qui conjunctim magnam illam Christianorum Rempublicam constituunt, concurrunt, Marc. Anton. de Domin. de Republ. Eccles. lib. 6. c. 5. Dn. Schilter. de Libertat. Ecclesiar. German. l. 3. c. 1. §. 12. unde in R. I. Norib. d. A. 1524. §. als auch vielgedachte. 28. Ordines Imperii ab Imperatore Carolo V. vocantur Schützer und Schirmer des Glaubens / i. e. protectores & defensores fidei: sed non eâ ratione, ut Imperatori Advocatia eminentis & universalis adimeretur, verùm quemadmodum Ordines in curarum & supremi Imperii consortium adsunt, opibus & consiliis suis fidem Christianam simul propugnant: ita officium protectionis & defensionis ipsis juxta cum Imperatore incumbere intelligitur. Primum autem meritò, sicut in aliis, hîc etiam locum obtinet Imperator Romano-Germanicus, cui præ reliquis Advocatia & propugnatio totius sancti Corporis, & cum reliqui concurrunt, directio, ductus & auspiciu[m] competit.

## TH. XXXIV.

Hîc non intempestivè quæri possit: An Imperator Catholicus Ecclesiarum Augustanæ Confessioni vel Reformatæ religioni addictarum Advocatus esse possit? Quod intrepidè affirmamus. Nam eò ipsò, quò Imperator (ad quod vi Capitulationis etiam tenetur) auctoritate suâ Leges publicas Imperii

perii & inter eas Instrumenta Pacis religiosæ & Osnabrugensis, in quibus hæ religiones communi Imperatoris atq; Statuum consensu in Imperio receptæ, & sic cum libertate conscientiarum liberum etiam religionis exercitium unicuique parti integrum relictum est, tuetur, nec permittit, ut propter religionem alter ab altero vim patiatur, ut Advocatum maximè se præbet, & hanc Advocatiam suam secundum ea, quæ disposita sunt in dictis Rec. Imp. & Instrumentis Pacis prudentissimè moderatur, vid. *Capitulat. perpetua*, ubi sub fin. art. 1. hæc clausula salutaris adjecta reperitur: Gestalt danit auch gedachte Advocation dem Religion - und Profan - auch dem Münster - und Osnabrügkischen Frieden zum Nachtheil nicht angezogen noch gebraucht werden solle &c. Consulatur de argumento hoc Dn. Roslerus in *Tractat. de Protector. Caesar. cap. 10. §. 5.* & Martinus Boeckelius de *jure protectionis clientelaris, part. III. cap. 1, num. 35. seqq.* ubi contra Dillingenses Theologos & Jureconsultos fusè disputat. Ita supersunt adhuc Monasteria quædam & Ecclesiæ Catholicæ in ditionibus Principum Augustanæ Confessioni addictorum, & vicissim Catholici Electores, Principes & Status in suis ditionibus August. Confess. addictas Ecclesias habent, ubi diversitas religionis non obstat, quò minus Advocatus clienti convenientem protectionem contra vim & injuriam præstet, ad quod quisque Jure naturali & gentium obligatus est. Aliter longè comparatum est cum infidelibus & hæreticis, quorum Advocatia uti in se inhonesta atque reproba, ita etiam ob sectarium virus periculosa est; hinc meritò, quicquid Catholicæ religioni non accedit, nec Augustanam aut Reformatorem doctrinam sequitur, id omne damnat Imperium, prohibet, punit, R.I. August. d. A. 1555. §. doch sollen alle andere. 17. &c.

TH. XXXV.

Forma seu modus in eo consistit, quod Imperator vi

D 3

pote-

potestatis Imperatoriæ & Jurisdictionis universalis hanc Advocatiam in Imperio plenissimè exerceat per singulos actus, qui unquam à Majestate profecti sunt, & ab antecessoribus Imperii legitimè exerceri potuerunt, tam quoad personas quam bona Ecclesiastica, non obstantibus ullis pactis aut conventionibus, quæ diversis temporibus Imperatores quoad Pontificum aut Episcoporum electiones, constitutiones atque confirmationes aliaque Jura Episcopalia cum Pontificibus inière, & sic per cessiones, alienationes, resignationes aliosque transferendi modos Advocatiæ Jura, quæ tanquam effectus ex sua causa è Majestate immediatè fluunt, amiserunt, vel aliàs Imperatorum incuriâ, patientiâ aut superstitione Pontifices ad se traxerunt, his enim omnibus quanta vis insit, si ad quæstionem Juris venerit, cum Jura Majestatis ita simpliciter alienari nequeant, cuilibet in Jurisprudencia vel mediocriter versato obscurum esse haud poterit.

### TH. XXXVI.

Competit etiam Cæsareæ Majestati, tanquam summo Christianitatis Capiti & defensori cum Legum tum miserè oppressorum, omne Jus & plena facultas interponendi officium Cæsareum & procurandi, quæcunque ad gloriam & honorem DEI propagandum, divinum ipsius cultum piè ac religiosè instituendum, pietatem Christianam exercendam, publicam salutem & concordiam conservandam, discordiam verò atque diffidentiam in causis religionis tollendam conducere videntur, ad quod etiam obstrictus est Imperator quâ Vicarius DEI, quâ supremus Reipublicæ Curator & Judex, quâ legitimus & universalis Ecclesiæ Advocatus.

### TH XXXVII.

Finis & effectus Advocatiæ Ecclesiasticæ est, ut seculari brachiò & potestate fidelium mater Ecclesia ab hostium interno-

terno-

ternorum atque externorum vi fortiter defendatur, bona Ecclesiæ contra grassatorum avaritiam & deprædationem conserventur, & immunitates atque privilegia Sacri Ordinis integra & illæsa maneant, ut eleganter docet Udalr. Zasius *l. 2. cons. 7. n. 6. & 7.* cui assistentiæ humanæ si personæ Ecclesiasticæ, extra mundanarum rerum curam ad solam laudem DEI bonorumque operum actionem constitutæ *tot. tit. X. ne Cleric. vel Monach. secul. negot. se immisc.* tanquam milites cœlestis militiæ arma sua spiritualia, hoc est, preces & cantiones jungant, sacrisque functionibus piè atque sobriè incumbant, Ecclesia pace & otio frui suaque incrementa capere potest.

### TH. XXXIIX.

Advocatiæ huic, tot invictis rationibus & argumentis Sacratissimo Imperatori nostro super Ecclesias omnes & singulas Germaniæ assertæ, non leviter obstat Vicariatus ille, quò Pontifex Romanus supremum in Ecclesia universa dominatum & absolutam circa Sacra potestatem arbitrandi & decidendi intolerabili ambitione sibi arrogat, Edvvinus Sanctis Eq. Angl. *in exquisito libello vom Zustandt der Religion cum addition. Bœcler. cap. 2. pag. 8. seqq.* cujus audacia in tantum excrescit, ut quotannis die Cœnæ Dominicæ per certæ Bullæ publicationem omnes, qui Jurisdictione Ecclesiasticâ utuntur, excommunicet. Sed cum de eo nec ex Bibliis Sacris & verbo DEI scripto, quod ex ipsis Pontificiis Scriptoribus quidam fatentur, nec certâ traditione Patrum quicquam hæcenus innotuerit, in prima etiam Ecclesia Primatus ille penitus ignoratus sit, & verò aliunde constet, Vicarium DEI in Ecclesia universalem constituere non esse humani juris, sed divinæ potestatis; hinc supposititium & adulterinum eum meritò pronunciamus, nec plus potestatis Præfuli illi indulgemus, quam Princeps alius sive secularis

ris sive Episcopus in terris suis habet, insignis Theologus Dn. Joh. Gerhard. *in Confession. Cathol. L. 2. art. 3. cap. 1.*

TH. XXXIX.

Ad Affinia tandem delabitur nostra Dissertatio, inter quæ referimus alias Advocatias, quæ cum hæctenus explicata cognationem habere videri possunt. Ejus generis sunt, quando vel Imperator ipse Episcopatus Germaniæ, Prælaturas, Ecclesias & Monasteria in specialem protectionem assumit atq; recipit: cujus exempla de Arnulpho Imperatore quoad Episcopatum Passaviensem, de Carolo M. ratione Monasterii Utenbeurenensis, de Ottone I. respectu Monasterii Einsiedlen-  
sis & aliorum ex Diplomatum fide adfert, Mager. *c. 5. n. 368. seqq.* Ita Fridericus I. in Diplomate de A. 1178. se Advocatum Spirensis Ecclesiæ vocat ratione Ducatus Sveviæ, Crus. *P. 2. l. 11. annal.* Vel quando Imperator iis Advocatos speciales constituit, sicut de Episcopatu Bambergensi constat, quod ab Imperatore Protectioni Pontificis olim commissus fuerit sub onere, ut equus albus phaleratus quotannis Romam transmitteretur. Aliquando Imperator defensionem provinciæ, urbis, Ecclesiæ aut monasterii alicui in Feudum committit, quod iterum exemplò Friderici III. Episcopo Herbipolensi Advocatiam Monasterii Chombergensis, & Caroli V. Protectionem Monasteriorum Comitatus Wertheimensis Comiti de Wertheim in Feudum concedentis, probat Mager. *c. 9. n. 775. seqq.* Magnif. Dn. Struv. *Syntagm. Jur. Feud. c. 4. aph. 20.* & ex professo Erasmi à Chokier *in Tractat. de Advocatiis Feudalib.* Equidem hodie sicut Principes seculares, ita & Episcopi Imperio inmediate subjecti, pro libertate Proceribus Imperii competente, eligendi Protectores facultatem habent, qui cæteroquin etiam Jure Superioritatis Advocatiam & Protectionem super omnia Monasteria & Ecclesias in territo-  
riis



riis suis fitas sibi vindicant. Quæ tamen omnia ita intelligenda sunt, ut Imperatori salva semper maneat Advocatia Majestatica suprema & universalis, quæ osibus ipsius arctissime inhæret, nec ab eo avelli potest factò aliquò tertii, sed Imperialis Superioritas in possessionibus ac bonis immobilibus quibuscunque tam propriis quàm alienis, tam feudalibus quàm allodialibus, etiam Ecclesiæ concessis, salva & excepta semper & ubique manet, ut habet Thom. Michael de Jurisdic. conclus. 25.

TH. XL.

Hæc ita de Advocatia Ecclesiastica, pro temporis & instituti ratione, primoribus ut ajunt labris degustasse sufficiat. Plura quæ in hanc rem dici possunt, non tam prætermittimus, quàm alii commodiori occasione reservamus. DEum interim ( ut pio voto lineas hæc obfirmemus ) cujus nutu Reges atque Domini mundi imperant, supplices rogamus, ut Augustissimum Imperatorem LEOPOLDUM, Victorem ac Triumphatorem Gloriosissimum, cum Serenissimo Rege Romanorum JOSEPHO, Successore ad Imperii salutem atque commodum omnibus regis virtutibus efflorescente, diu rebus humanis interesse largiatur, ut sub potentissimis AQUILÆ hujus BICIPITIS Protectionis alis Ecclesia DEI persistere ac perdurare possit ad consummationem usque seculi.

SOLI DEO GLORIA.



E CO.

*illam in omni* **COROLLARIA.** *in his res illi*

*legibus sunt in* I.

**I**mperator summam atq; plenam  
in Imperio potestatem habet.

II.

Principes & Status Imperii Impe-  
ratoris & Imperii subditi sunt.

III.

Imperator Pontificis Vasallus esse  
potest.

IV.

Etiam superior inferioris clientelæ  
rectè se committit.

V.

Principes Catholici imperium se-  
miplenum habent, non item Protestan-  
tes.

VI.

Judæi protectione Imperii digni  
meritò censentur.

VII.

Advocatia sola nullam tribuit Ju-  
risdictionem, nec tamen eam tollit.

VIII.

Fœminæ Advocatæ esse possunt.

Ferbuit

\* \* \*

**R**erbuit audaci noscendi ænigmata Legum  
Atque fori salebras, pectus amore tuum:  
Nec vanò. Inde Themis Tua cinget tem-  
pora lauru,  
quam tua Dexteritas Te meruisse pro-  
bat.

Castaliæque vovent totâ Tibi mente sorores,  
Ut foveas Juris rectus in arte decus!

*Optima vota qualibet  
jungo animitus  
honoribus meritisimis*

Nicol. Christophorus Lyncker,  
Consil. Sax. Intim.

---

**S**ic Cathedram scandis peractis omnibus  
Laboribus, quo in artibus Doctus cluas  
Themidis, ovans Doctor revises mœnia  
Natalis urbis. Grator hoc, votumque sit  
Meum, Deus adstet his Tuis negotiis,  
Fortunet, & portum inferat Te placidum!

Ita

Supremis honoribus THILLIANIS

FELICITER

acclamat

Petrus Müller / D.  
Colleg. Jurid. Decanus.

\* \* \*

**W**il man dein loblich Thun und Arbeit überlegen/  
Wohl-Edler/den der Ruhm auf Ehemis Tafeln schreibt/  
So sieht man/was in dir vor Funken sich erregen/  
Und wie dein reiner Glantz nicht bey der Erden bleibt.  
Du gleichst in deinem Lauff den theuren Demantsteinen/  
Die zwar von Felsen-Art und doch auch Sonnen-rein/  
Die leicht kein Hammer zwingt/und dennoch lieblich scheinen/  
Die tauerhafft und auch voll heller Strahlen seyn.  
Es hat der Höchste dir ein Licht ins Herz gegeben/  
Das immer wiederum nach seinem Ursprung dringt/  
Ein Licht/das nach dem Tod auch läßt die Menschen leben/  
Das keine Finsterniß in ihre Ketten zwingt.  
Hiernächst so hegt dein Geist recht ungemeyne Stärcke/  
Damit den Riesen gleich du an die Arbeit gehst/  
Und so zu Tag als Nacht bey deinem Muses-Wercke  
Voll Feuer/Krafft und Muth zu deinen Ehren stehst.  
Astræa schaut dich nächst in unverrückter Liebe  
Mit ihrem ganzen Chor und hohen Vätern an/  
Uns dünckt/wie damahls sie an ihre Pfosten schriebe:  
Mein Thill der hat sein Recht in Rechten längst gethan!  
Drauff griff sie ungesäumt nach frischen Lorberzweigen/  
Darein die Ewigkeit ihr Bildniß eingesenckt  
Um dein gelehrtes Haupt/darin der Welt zu zeigen/  
Das Haupt/das täglich sie aus ihrem Quell getränckt.  
Izt wil der Ehren-Preis sich deinen Schlaffen nahen.  
Wie lacht der helle Schmuck in seiner Purpur-Pracht!  
Tritt auf/von Ihrer Hand das Kleinod zu empfangen.  
Du hast dich allbereit desselben werth gemacht.  
Die Freunde wünschen dir das angenehmste Glück.  
Es steh des Himmels Huld selbst deinen Ehren bey!  
So wächst sie ferner noch durch manches Günst-Geschick/  
So bleibet Demant-Glantz von Fleck und Nebel frey!

Mit diesem wenigen solten gegen dem Wohl-Edlen und  
Hochgelahrten Herrn Doctorando ihre Schuldigkeit  
gebührend abstatten

Dessen sämptliche Tischgenossen.



B. M. II, No.  
B. M. II, h. 24

AD

IMPER.

DI

RECT

IOHA

DUCE SAX

EX DEC


DN. IOH

ET PANDEC

Patron

Summo

IOH. C



8957)



ATIA

SIASTICA

IRALIS

TISSIMO  
MINO

19  
LIELMO

E AC MONTIUM,  
LÆ, ETC.

UM ORDINIS

VOGTIO, D.

CI ET SCABINATUS

tèm colendo

ilegia Doctoralia

stit

Thill / Pofon.

XC.  
RUM

nis.

